

59 solum ad recuperandam vitam, sed ad terminandum articulum per viam violentiæ, quia si gaudet immunitate, non poterit iudex secularis eum incarcerare, & ab Ecclesia abstrahere, iusteq; Ecclesiasticus procedet per censuras aduersus eum, vt reducat eum ad Ecclesiam aliàs si legitime est ab ea abstractus, vim faciet Ecclesiasticus fulminando censuras aduersus secularem, seu Regium iudicem In qua re Igneus in l. 1. §. si dominus numer. 7. ff. ad Syllanianum, tenet expressè, quod quemadmodum homicida, qui alium aleuose occiderit ab Ecclesia inuitus abduci potest ita etiam, qui alterum proditoriè, occidendi animo percusserit, licet ex percussione mors sequuta non fuerit, & ita dicit fuisse iudicatum.

Sed contrariam opinionem tenet Germonius lib. 3. de sacrorum immunitatibus, capi. 16. numero 62. ex eo, quia secundum alteram communem opinionem de iure Canonico, simplicem percussorem, etiam proditoriè, gaudere Ecclesiæ immunitate, tradit Boerius decisione 119. Rebuf. 2. tom. ad ll. Reg. in tractatu de immunitate art. 1. quest. 5. vbi etiam dicit,

quod contraria opinio est in practica recepta, vt tradit Remigius in tractatu de immunitate. fal. 13. & ita fuisse obseruatum tradit Mileus in practica criminali, numero 19. & ego trado duas communes in d. que. 817. vbi numer. 13. refero resolutionem huius principalis questionis, & nunc in casu de quo loquimur idem tenendum iudico, quia siue assassinus perficiat delictum, & mors sequuta fuit, siue mors non fuerit sequuta, dum tamen per eum non steterit, non gaudebit Ecclesiæ immunitate, quia aliàs maxima daretur delinquendi occasio, & piorum receptaculum, improbis refugium esset, & sic opinio Doctorum, de qua supra, quam refert Gutierrez. d. quest. 7. num. 51. procedit etiam si mors non sequatur, secundum Igneum, cui adhæreo, & ita articulus violentiæ erit resoluendus quod tene menti: & an cognitio immunitatis sit mixti fori, tradit Belluga in speculo Princip. rubr. 11. §. Sed quia. numer. 19. ad fin. vbi tenet partem affirmatiuam: contrarium verò tenet Marta de iurisdictione. 2. part. cap. 50. num. 19. & ita communiter practicatur.

Q V Æ S T I O 902.
COMMVNIVM CONTRA
COMMVNES.

Vtrum sententiâ latâ à iudice publicè excommunicatio, quando non est denunciatus, sit valida?



In hac quæstione proposita Abbas in capite dilectus numero 11. de præbendis. resoluit, sententiam prolatam in fauorem partis, scientis iudicem esse excommunicatum, nullam esse, quam opinionem tenet Albericus in lege, Barbarius Philippus. nume. 33. ff. de officio Prætoris, & hanc dicit communem Deciuz. in c. post cessionem. nu. 20. de probationibus.

Sed contrariam opinionem, imò quod ta-

lis sententia sit valida, tenet Couarruias in capite, Alma mater, de sententia excommunicationis, prioris partis relectionis paragrafo septimo, numero nono, versiculo, Similiter actus. vbi hanc dicit communem opinionem, quia in pertinentibus ad officium publicum nequaquam ipsis nocet scientia excommunicationis, in quos publica potestas exercetur, quæ opinio vera est, & ita obseruatur quotidie in practica, sine aliqua controuersia, & nunquam vidimus ob hanc causam sententiam esse nullam.

S V M M A R I V M.

- | | |
|---|---|
| <p>1 Egi publicatio debet fieri per proclama in loco publico.</p> <p>2 Publicè fieri dicitur, quod fit à populo.</p> <p>3 Lex noua incipit ligare post duos menses.</p> <p>4 Lex non debet singulis personis notificari.</p> <p>5 Lex si habeat tempus limitatū, ligat eo transacto.</p> | <p>6 Lex potest ligare à die publicationis.</p> <p>7 Pœnam nemo incurrit sine culpa.</p> <p>8 Lex noua declaratoria alterius, statim ligat.</p> <p>9 Lex dicitur noua quando aliquid addit.</p> <p>10 Lex privilegiata assumit naturam privilegi.</p> <p>11 Privilegium sumit vires à die notitiæ, & non publicationis.</p> |
|---|---|

I V. Tom.

N